

R. P. D.

BEAUFORT DE CANILLIAC

Chelmen. Decimarum.

Veneris 30. Martii 1753.

1 DEcimas, quæ in specie, seù Manipulis à Conjugibus Graievvski uti possessoribus Villarum *Zaporze*, *Gruszka*, & *Podlesiæ* præstandæ erant Ecclesiæ Parochiali *Czerniencin*, in pecuniarias vertere curârunt dd. Conjuges anno 1743., perque initam reverà transactionem cum Præposito Ecclesiæ *Turobinensis*, cui unita jam fuerat Parochialis *Czerniencin*, constitutum fuit, ut pro eisdem Decimis annua fieret solutio florenorum 60. Polonicalium, reservato Ordinarii Beneplacito: Cum verò Episcopus Chelmensis in Pastorali Visitatione Turobinensis Ecclesiæ hac improbata Decimarum commutatione, deleverit quidquid actum jam fuerat ab illius Præposito, hic firmitèr adeò resipuit, ut pactam Decimarum mutationem impugnaverit mox in Curia Episcopali Chelmen., mox in Tribunali S. Nuntiaturæ, & pro illius voluntate res utrobique successit. Immò etsi Judices per Breve in Partibus Delegati in contrariam Sententiam abiverint in gradu ulterioris appellationis, attamen A.C. Paraccianus, ad quem è Ve-

è Vestigio causa conscendit, infirmata Judicum Delegatorum Sententia, confirmavit Judicata Curiæ Episcopalis, ac Nuntiaturæ decernentia solutionem Decimarum in Manipulis. Hinc verò etsi Conjuges de Grajevvski novam mihi dirigi curassent commissionem à Signatura Justitiæ, nunc tamen animum desponderunt, ipsisque non contradicentibus dedi Dubium = *An constet de tribus in casu* =, quod resolutum fuit pro Præposito Informante, hoc est *affirmativè*.

2 Et sanè cum sententiæ Curiæ Episcopalis Chelmen., Sacræ Nuntiaturæ, ac A.C. sese invicem confirmantes constituant Ecclesiæ Turobinensi pensitandas esse Decimas in Manipulis, dubitandum idcircò non erat de ipsarum conformitate *Rot. decis.* 647. *num. primo part. prima*, *decis.* 49. *num. primo part.* 5. *Recent.*, & *decis.* 5. *num. primo coram Caprara*: Pariterque staute ternario earum numero, diversa, quæ intercessit Delegatorum Judicum Sententia, prohibere non poterat, quominus dicendum esset constare de tribus, uti practicè firmavit eadem *Rota decis.* 980. *num.* 12. *coram Dunozett.*, *decis.* 816. *num. primo part.* 18. *tom.* 2., & *decis.* 667. *num.* 2. *part.* 19. *tom.* 2. *Rec.*

3 Sententiarum conformitati, apertissima accedebat illarum Justitia. Præterea enim quod pro exactione Decimarum in Manipulis, Ecclesia, seu Præpositus Turobinensis fundatam habet intentionem in Divino, ac Canonico Jure, quo reprobata pecuniaria Decimarum pensatione sancitur solvendas eas esse in ipsamet specie enascentium fructuum, uti de Jure Divino habetur *in Levitic. cap.* 22. *num.* 30., *in Exdr. cap.* 10. *num.* 37., & de Jure Canonico præclari sunt *Textus in cap. Cum homines*, & *cap. Ex parte de Decimis*, quos in terminis Decimarum Poloniæ sequuta est *Rota in Cracovien. Decimarum* 27. *Junii* 1749. §. 2. *coram Me*, & *in Cracovien. Decimarum super bono Jure* 27. *Aprilis* 1750. §. 2. *coram Reverendissimo Zamoren.*

4 Validiùs etiam urgebat Synodalis Constitutio Regni Poloniæ in forma specifica confirmata à San. Mem. Urbano VIII.; Quandoquidem per inflictam nullitatis actus, atque excommunicationis pœnam vetitum in ea fuit, ne quis manipulares Decimas in pecuniarias pensiones converteret, uti refert *Starovvolscius in Breviar. Jur. Pontific. tit.* 44. *de Decim.*, & *Rota in Varsavien. Decimarum prima Julii* 1715. §. *Nec pro titulo coram bon. mem. Foscaro*, *in Cracovien. Decimarum super bono jure* 26. *Junii* 1747. §. 3. *coram R.P.D. Clemente*, & *in dicta alia Cracovien. Decimarum super bono jure* 27. *Aprilis* 1750. §. 3. *coram Reverendissimo Zamoren.*, proindèque quo firmior est hujusce Synodalis Constitutionis auctoritas, eo sanè tutius Præposito Turobinensi jus competit Decimas exigendi in Manipulis, ad

Text.

Text. in cap. fin. de Constit., *& Rota in Calaritana*, *seu Ussellen. Decimarum super Restitutione in integrum 30. Januarii* 1741. §. 3. *coram Me*.

5 Et salva magis res erat, ex quo in ipsa Turobinensis Ecclesiæ fundatione pro ejus Dote, ac Præpositi alimonia assignatæ fuerunt manipulares Decimæ nedùm ex omnibus Prædiis intra Parœciæ fines existentibus, sed expressius ex Villis *Zaporze*, *Gruska*, *& Podlesie*. Immò hæc eadem assignatio in Sacris plerumque Visitationibus comprobata remansit. Non etenim decet, quæ ad saluberrimam Ecclesiæ fundationem invecta sunt, perniciosa deinceps novitate turbare, ex firmatis in puncto per *Rotam in Cracovien. Decimarum* 26. *Januarii* 1723. §. *Et quidem coram bon. mem. Cerro*, nec per variatam Decimarum speciem licitum est variare veterem ejusdem Ecclesiæ dotem, & statum in Sacris Visitationibus apertissimè ratihabitum *Rota in Cracovien. Decimarum* 27. *Junii* 1749. §. 3. *coram Me*, *& in dicta Cracovien. Decimarum super bono jure* §. 4. *coram Reverendissimo Zamoren.*

6 Nec meritò dici poterat jura hæc Turobinensis Ecclesiæ pro exactione Decimarum Manipularium, jamdiù fuisse contraria præscriptione sublata; Animadvertebant namque Domini, quod etsi eædem Decimæ solutæ quandoque fuerint in pecuniis, eadem tamen solutio mox ad florenos 50. coercita, mox ad sexaginta protracta fuit. Immò pecuniariam hanc præstationem acceptarunt Præpositi iis semper adjectis salutaribus Clausulis = *Pro Decima Manipulari* = *salvo jure Decimæ Manipularis* = Crebra quippè solutionum Variatio, ac expressa in iisdem solutionibus Causa, per præcipuam illam dictionem = *Pro* = ingenio suo excludunt præscriptionem, quæ libera, ac invariabili quotannis solutione consistit, sive modica, sive uberrima fuerit messis, & fructuum collectio, ut præcisè docuit *Rota dec.* 125. *num.* 7., *&* 8. *part.* 11. *Recent.*, *in Cracovien. Decimarum super bono jure* 26. *Junii* 1747. §. 6. *coram R.P.D. Clemente*, *& in dicta alia Cracovien. Decimarum super bono jure* §. 16. *coram Reverendissimo Zamoren.*

7 Prætereà si quæ à Præposito Turobinensi facta fuit exactio Decimarum in pecuniis, ea sanè primum accidit anno 1623. usque ad annum 1628. indè autem, veteri reassumpta exactionis forma in Manipulis, non nisi quam anno 1722. invecta iterum fuit solutio in pecuniis, eaque porrexit ad annum 1733.; Ex hac autem saltvaria pecuniarum solutione convellitur quæcumque præscriptio, quæ sicuti pernecessè requirit actus univocos, continuatos, & numquam interruptos, uti in specie dixit *Rota in Cracovien. Decimarum* 27. *Junii* 1749. §. 8. *coram Me*, ita conticescere omninò debet in hac specie, in qua plurimæ intercesserunt De-

ci-

cimarum solutiones in Manipulis, ex firmatis *in dicta Cracovien. Decimarum super bono jure* §. 11. *coram Reverendissimo Zamoren*.

8 Ceterùm cum in prædictis Synodalibus, ac Pontificiis Constitutionibus cautum fuerit, manipulares Decimas verti non posse in pecuniarias, hinc fit, ut quanticumque fuerint actus solutionis quantitativæ, ex iis tamen inducta nullo modo remanserit præscriptio ob vitium malæ fidei in solventes diffusæ ex ipsis Synodalibus, ac Pontificiis Sanctionibus, uti in puncto tradit *Rota in dicta Cracovien. Decimarum super bono jure* §. 19. *coram Reverendissimo Zamoren.*; Quin immò cum Constitutiones istæ non solùm pœnam excommunicationis præseferant contra Refractarios, sed munitæ insuper sint Clausula = *Sublata*, ac decreto *irritanti*, firmiùs indè effrangitur cujusque consuetudinis, aut præscriptionis efficacia ex præcisè firmatis per *Rotam in Cracovien. Decimarum* 27. *Junii* 1749. §. 6. *coram Me*.

9 Dùm verò res ita loquebatur, immorandum non erat in transactione anni 1743., qua Manipulares Decimæ versæ fuerunt in pensionem annuam florenorum 60.; Hæc quippè transactio etsi vetitam saperet alienationem rerum Ecclesiæ inita adhùc fuit citra Beneplacitum S. Sedis, immò etiam sine consensu Ordinarii, undè pro invalida prorsus habenda erat *Rota in Alatrina Juris pascendi* 17. *Junii* 1729. §. 4. *coram clar. mem. Card. Cincio*, ejusque intrinseca nullitas ob resistentiam præcipuè Synodalis Constitutionis à S. Sede confirmatæ allegari validissimè potuit ab ipsomet Præposito Transigente juxta opinionem *Rotæ in Cracovien. Decimarum* 26. *Februarii* 1723. §. *Taliter coram bon. mem. Cerro*, & *in dicta Cracovien. Decimarum* 27. *Junii* 1749. §. *fin. coram Me*.

10 Adstipulante potissimum quod in eadem Transactione reservatus expressissimè fuit assensus, & approbatio Ordinarii per ea verba = *Hæc autem compositio debet esse corroborata, & confirmata ab Illustrissimo D. Episcopo Chelmensi* = Ex hac namque reservatione descendit, ut etiamsi Episcopi Beneplacitum necessarium de Jure non fuisset, adhùc tamen impetrandum esset, eoque non obtento, actus ipse omninò corruat, possitque alter ex transigentibus pœnitere *Rota decis.* 52. *num.* 44. *coram Dunozzet. Sen.*, *decis.* 402. *num.* 13. *coram Bich.*, & punctualissimè *in decis.* 224. *num.* 12. *coram Kaunitz*.

Et ita altera &c.

ROMÆ, Typis Rev. Cameræ Apostolicæ 1755.

Superiorum permissu.